





82
E.

ORDINIS PHILOSOPHICI
 IN
 ACADEMIA' WITTENBERGENSI
 DECANUS
 CHRISTIANUS
 Röhrensee /
 Phil. Pract. P. P. & Elect.
 Alumn. Ephorus,
 Ingenuarum artium cultoribus
 & Philosophiæ Candidatis
 S. D.

74

82





ACADEMIA VITTEBERGENSI

Q. D. B. V.

DE titulorum usu, graduumq;
dignitatis in republica ratione diversimo-
de judicatum animadvertimus, multis ma-
gnum iisdem pretium tribuentibus, sper-
nentibus aliis, ac tantum non in vitio ponen-
tibus. Darius, Persarum rex, in literis ad
præfectos suos *regis regum, & consanguinei deorum* sibi præscripsit
elogium. FREINSHEM. *Suppl. Curt. 2. 4.* Quales titulos tur-
mulis quoque Regum Persarum superaddi solitos, discimus e
BARNABA BRISSONIO, *de regn. Pers. l. 1. p. 153. seqq.* Victor
ejus Alexander M. cupiens originem divinitatis acquirere, *Jo-
vis Hammonis filius* credi, ac *pro Deo, non pro rege coli* voluit,
JUSTIN. *II. II.* quem in finem effigiem suam cornutam
numis exhiberi jussit, *pulchrum hominis vultum cornu dedecorans.*
CLEMENS ALEXANDR. *in admon. adv. gentes.* C. Caligu-
la compluribus cognominibus assumtis, divinam præterea
majestatem asserere sibi cœpit, & *Latialem Jovem* se consalutari
passus est. SVETON, *in vit. ejus, c. 22.* Nero Cæsar, ex *immensis,*
quibus cumulabatur, honoribus tantum patris patriæ nomen
recusavit, propter ætatem. IDEM, *in Ner. c. 8.* Domitianus ne
scripto quidem ac sermone cujusquam aliter appellari voluit,
quam *Dominus & Deus noster.* ID. *in vit. ejus, c. 13.* Trajanum, o-
ptimum alioqui principem, a Constantino Imperatore *herbam*
parie-

parietariam per jocum appellatum fuisse, S. AURELIUS VI-
 CTOR, in *Epit. c. 41.* auctor est, ob titulos multos adibus inscriptos.
 Non dicam de barbarorum principum in titulorum insolenti-
 um adfectione moribus, qui se *fratres siderum, sponsores bonæ for-
 tis, natos ante Luciferum, omnipotentis DEI filios, bellatores Deorum,
 angelos paradisi,* & quid non? appellitant; quibus plurimum ta-
 men vanitatis & mendaciorum, nescio annon & blasphemiae,
 inesse credimus: etiam qui apud Christianos rerum potiuntur,
 titulorum & communium & peculiarium magnam rationem
 habent, iisdemque pro notis & fulcris majestatis, in quibus ma-
 ximarum sæpe rerum momenta versantur, adhibent, negatis-
 que iis haud leviter offenduntur. In quem censum referas
 licet *Serenissimorum, Potentissimorum, Celsissimorum, Sacratissimorum,
 Inviictissimorum, Augustissimorum, Gloriosissimorum;* nec non *Chri-
 stianissimorum, Catholicorum, Defensorum fidei, Apostolicorum, Or-
 thodoxorum,* agnomina & appellationes. Neque vero solis Prin-
 cipibus ingens titulorum cura fuit, sed & aliorum occupavit,
 sollicitudinem, ac eousque progressa est, quousque dignitatum
 civilium porrigitur ratio. Florente Republica Romana duo
 ut dignitatum, sic titulorum gradus fuere præcipui, *Majestas &
 Amplitudo.* Majestas populi, amplitudo Senatus fuit, qui inde
amplissimus, clarissimus, florentissimus ordo fuit appellatus, & sena-
 tores *clarissimi, illustres, amplissimi, & ornatissimi,* ac postea *speciosi* di-
 cti sunt. Invenit deinde novitas temporum & officiorum nu-
 merus alia dignitatum verba, quæ tribus potissimum nomini-
 bus designantur, ut Magistratus alii sint *clarissimi,* alii *spectabiles,*
illustres alii. JAC. GUTHER. *de offic. dom. August. l. 1. c. 14.* Di-
 gnitatum apex tandem fuit *Nobilissimatus,* a Constantino intro-
 ductus, cujus insignia fuere vestis purpurea, aureis ornata lim-
 bis. ID. *ibid.* Neque vero existimandum est, eruditorum or-
 dinem graduum dignitatis fuisse expertem, ac titulorum ra-
 tionem insuper habuisse. Non in Ægyptiorum, Chaldaeorum,
 Persa-

Perfarum, Gallorumque antiquorum me immittam res gestas, quibus suos studiorum fuisse gradus, certis sine dubio titulis discretos, probabili ratione adserit CONRINGIUS, in *de Antiq. Acad. Dissert. 4.* Qui laudatissimus auctor, quæ apud Judæos obtinuerit olim, & hodiernum obtineat titulorum collatio, quæ pariter apud Sinenses, quæ denique apud Parisienses, & in schola Salernitana, unde demum in aliarum gentium pervasit Academies, exponit eadem Dissertatione, *pag. 125. seqq.* Id agam potius, ut quibus illi, qui contemptis titulis ac dignitatum gradibus evertunt gloriæ theatrum, insistant argumentis, breviter declarem. Scilicet humilem dicunt, vanum, & incertum sui, qui arundinis instar flatu illo pomposorum titulorum agitetur, & alienæ libidinis mancipium. Fidelem virtutis cultorem decore virtutis ipsius debere esse contentum, & Democritum imitari, qui multos per annos Athenis, in urbe tam celebri, & ubi honos bonis artibus habitus, obscurum se ignotumque vixisse, in quodam volumine gloriatus sit. VALER. MAX. 8, 7. Nimirum ut sidera adversum mundo iter intendunt, sic sapientem omnibus vitam, nec probanda ei, quæ in vulgus probentur. Desinere virtutem esse, si pretium sui extra se quærat, & ad gloriam spectet, quæ, cum splendor videatur, rubigo fit, & naufragium in portu. Quemadmodum lumen magis prodest iis, qui vident, quam qui videntur: sic gloriam non tam eorum esse bonum, quibus contingit, quam qui ejus beneficio præclarissimas eminentium virorum dotes, dictaque & facta cognoscant, & iis excitentur. Probendam potius SENECAE sententiam: *Nemo mihi videtur pluris estimare virtutem, nemo illi magis esse devotus, quam qui boni viri famam perdidit, ne conscientiam perderet.* Atque ne exemplis destitui videantur, producant in medium Alexandrum Severum; qui, cum more Romano omnes cumulativè titulos & Senatus & populus ei admetiretur, vere regie respondit: *Hæc nomina insignia onerosa sint.*

Primum

Primum displicet aliena nomina assumere, deinde gravari me credo.
 Quiescite igitur, venerandi patres, & vos ipsi magnifici, unum me de
 vobis esse censete potius, quam Magni nomen ingerite. Subjungit his
 LAMPRIIDIUS, in ejus vita, c. 12. Multo clarior visus est, alienis
 nominibus non receptis, quam si recepisset, atque ex eo constantia ac
 plena gravitatis famam obtinuit. Non desunt, qui Christianæ ad-
 versari religioni φιλοθυμίας titulorum usu significatam, damna-
 tamque a Servatore clamitant, quod simul in pectore confi-
 stere nequeat amor Numinis cum reverentia ipsius Majesta-
 tis conjunctus, & laudis gloriæque cupido. Hæc atque alia
 in titulorum odium adducta, vel adducenda, utcunque a mi-
 nus æquis rerum æstimatoribus existimata fuerint, ea ta-
 men profecto non sunt, ut ab omni in universum honoris
 abstinerere compellatione ac dignitatis gradu compellant. Ec-
 quem fugit, excellentissimas quasque res in abominandos sæ-
 pe verti abusus, ut earum tamen dignitati nihil inde quicquam
 decedat. Angusti animi atque demissi est, honorem, dignitatem-
 que omnem contemnere: ac ut levitatis est, inanem aucupari
 rumorem, & omnes umbras etiam falsæ gloriæ consectari; sic
 degeneris animi est, lucem splendoremque fugientis, justam glo-
 riam, qui est fructus veræ virtutis honestissimus, repudiare.
 Qui virtutem serio colit, non opus habet, ut adfectet gloriam,
 titulosque quærat: sponte sequentur illa generosæ mentis præ-
 mia, ac vel deprecantem non deserent, sed cumulatiora redi-
 bunt. Scite de Catone Cr. SALLUSTIUS, de B. C. c. 54. Cum stre-
 nuo virtute, cum modesto pudore, cum innocente abstinentia certabat;
 esse, quam videri, bonus malebat; ita quo minus gloriam petebat, eo ma-
 gis illum adsequebatur. Hæc scilicet, Socratis judicio, apud VA-
 LER. MAX. 7, 2. erat illa compendiaria via perveniendi ad glo-
 riam, id agere, ut, qualis videri velis, talis etiam sis. Non propter
 gloriam, non ut laudetur, virtuti operam dat vir bonus & sapi-
 ens, sed quia ipsa sibi semper pulcerrima merces est, & quoni-
 am

am recte facti maximus fructus est, fecisse: interim honorem & existimationem non insuper habet, verum ut utile ac necessarium perquam rerum gerendarum instrumentum amplectitur. Ecquid vero in titulis sit mali, equidem ignoro: quos nec DEUS Opt. Max. averfatur, sed requirit, hominibusque, quos pro ratione fortis & conditionis suæ merentur, tribui permittit? Dummodo nec errore hominum, nec suo merito laudem ad se pervenisse arbitretur vir honoratus, & ita id, quod divino beneficio tribuendum erat, in amentia populari, suave virtute collocandum putet, velut egregie differit HER. OSORIUS, l. 5. de Gloria. Atque hoc ipsi etiam gentiles agnoverunt, unde CICERO Or. de L. Manil. Fuit, inquit, profecto, quibusdam summis viris quedam ad amplitudinem & gloriam, & ad res magnas bene gerendas divinitus adjuncta fortuna. Illud præterea observandum, eam demum veram, solidamque laudem esse, quæ proficiscitur a cordatis & sapientibus viris, & præclaram virtutem, sapientiamque, non caduca corporis, aut adventitia fortunæ bona pro fundamento habere. Egregie APULEJUS, in Demon. Socrat. In hominibus contemplandis noli aliena estimare, sed ipsum hominem penitus considera. Aliena autem voco, quæ parentes pepererunt, & quæ fortuna largita est. Generosus est? parentes laudas. Dives est? non credo fortunæ. Validus est? egritudine fatigabitur. Pernix est? abit in senectutem. Formosus est? expecta paulisper, & non erit. At enim bonis artibus edoctus, & adprime est eruditus, & quantum licet homini, sapiens, & boni consultus? Tandem aliquando ipsum jure laudas. Hoc enim nec a patre hereditarium est, nec casu pendulum, nec a suffragio anniculum, nec a corpore caducum, nec ab ætate mutabile. Quin tu te igitur ad studium sapientiæ ingeris, ut nihil alienum audias in laudibus tuis. Cæterum haud inficiamur, excedi haud raro in titulis non ab iis modo, qui in illustri dignitate constituti sunt, verum etiam a privatis. Hinc enim illustris FORSTNERI querela

rela, Not. Pol. ad Tac. 2. Annal. in fin. Nunc eo ventum est, ut Opti-
mus Maximus DEUS nullo singulari titulo appellari possit, quem non
hominum sibi ambitio arrogaverit. Et ad 4. Annal. p. 614. Hodie
quorundam tanta dementia est, tantaque vanitas, ut titulos patrimo-
nii emant; titulos splendidos illos quidem, & famosos, sed omni re
vacuos, quique non ad aliud utiles sunt, quam ut, quod ex patrimonio
reliquum est, devorent. O curas hominum, O quantum est in rebus
indane! In bene constituta Republica velut necessarium est, ci-
ves secundum virtutes ac merita, quibus quisque juvare pa-
triam potest, discernere, sic ingens intercedit discrimen, in-
ter eum, qui vim quidem alicujus virtutis, per quam prodesse
Reipubl. potest, habet, nomine vero hoc designante, titulo-
que destituitur, ac inter eum, qui cum re simul & ejus publi-
cam notam, titulumque obtinet: quod nomen ad vim hono-
rem, dignitatemque, & certa jura adjiciat; quæ frustra quæ-
runtur in eo, qui dignitatis satis alioqui capax externo signo
destituitur. Quoties enim videmus, quod eadem vel scientia,
vel alia qualitate instructi non eosdem recipiant honores, si
titulo eodem non sint ornati? Ac in Academiis omnino plu-
rimum refert, doctos ab indoctis honorum titulis, doctosque
inter se gradibus dignitatum discerni, ut imperiti, quos vitent,
internoscere valeant, utque norint, quorum consilium ope-
ramque in quolibet studiorum genere tuto feliciterque se-
quantur. Hæc Vobis scribo, CULTORES SAPIENTIÆ
MAXIME STRENUI. Plurimi enim Vestrum cum Julio Ar-
agricola famam, cui etiam boni indulgent, nec ostentandam virtute,
aut per artem quærent. TAGITUS in vit. Agr. c. 9. Quod ex ve-
recundia profectum cum damno Vobis cedere possit, en, of-
fero Vobis laborum Vestrorum præmium pulcerrimum,
SUMMUM IN PHILOSOPHIA GRADUM, AC MAGI-
STERII HONORES. Vestrum erit, salutanti Vos & alio-
quenti præbere faciles, nec prætermittere tam luculentam,
incla-

inclarescendi occasionem. Ut umbra corpus aliquando antecedit, aliquando sequitur: sic honor jam ante Vos est, visendumque se præbet: post paullo in averso erit. Ad eum igitur comprehendendum æquis passibus contendite. Quo quidem in præclaro proposito ducem me Vobis, adiutoremque fisto. M. TULLIUM imitamini, qui sic de seipso, *in Orat. pro Planc. Equidem primum, ut bouore dignus essem maxime, semper adlaboravi: secundo, ut existimarer: tertium mihi fuit illud, quod plerisque primum est, ipse honor.* Tales volo, tales expeto CANDIDATOS, qui diuturnam industriam, qui complurium annorum labores justo tandem solari præmio intendunt, illorumque ea in re sententiis nituntur atque suffragiis, quorum excellens iudicium & spectata virtus bonis omnibus in exemplum patet. Quod si qui sint, qui honorum inescati dulcedine ex insolentia animi, nullaque virtute nixi, ac velandæ ignaviæ hos titulos expetant, eos quiescere jubeo, & illud Cyri ad Cambysem iis ingero: *Una est via, ad illustre sapientie nomen consequendum, sapientiam ipsam prius complecti.* Enimvero, *nihil simulatio proficit, paucis imponit leviter extrinsecus inducta facies. Veritas in omnem partem sui semper eadem est. Quæ decipiunt, nihil habent solidi: tenue est mendacium, perlucet, si diligenter inspexeris.* SENECA, *Epist. 79.* Quod superest, æternum ac præpotens NUMEN supplicibus posco precibus, ut bene prosperet hoc institutum nostrum, ac in Ecclesiæ ac rei literariæ incrementum, & hujus inprimis Academiae decus vergere faciat. P. P. Ipsis EPIPHANIORUM solennibus, A. R. G. cl. J. C.

WITTENBERGAE,
Ex Officina CHRISTIANI SCHROEDTERI, Acad. Typ.



